

18

Paulino Ausonius: metrum sic suasit ut esses  
 tu prior et nomen praegrederere meum;  
 quamquam et fastorum titulo prior et tua Romae  
 praecessit nostrum sella curulis ebur,  
 et, quae iam dudum tibi palma poetica pollet, 5  
 lemnisco ornata est, quo mea palma caret.  
 longaevae tantum superamus honore senectae.  
 quid refert? cornix non ideo ante cycnum,  
 nec quia mille annos vivit Gangeticus ales  
 vincit centum oculos, regie pavo, tuos. 10  
 cedimus ingenio, quantum praecedimus aevo;  
 assurgit Musae nostra Camena tuae.  
 vive, vale et totidem venturos congere Ianos  
 quot tuus aut noster conseruere patres.

## 19. Ausonius Paulino

a

Quanto me affecit beneficio non delata equidem, sed suscepta  
 querimonia mea, Pauline fili! veritus displicuisse oleum quod miseris,  
 munus iterasti; addito etiam Barcinonensis muriae condimento  
 cumulatus praestitisti. scis autem me id nomen muriae, quod in usu  
 vulgi est, nec solere nec posse dicere, cum scientissimi veterum et 5  
 Graeca vocabula fastidientes Latinum in gari appellatione non  
 habeant. sed ego, quocumque nomine liquor iste sociorum vocatur,

iam patinas implebo meas, ut parcior ille  
 maiorum mensis apalaria sucus inundet.

quid autem tam amabile tamque hospitale quam quod tu, ut me 10  
 participes, delicias tuas in ipsa primitiarum novitate defrudas? o melle

18 Z (= CKLY) titulum del. ego: Ausonius Paulino KL, Ausonius Paulino sal. pl.  
 di(cit) CT 10 pavo CKL, pave T 13 congere codd., consere Græv.

19 Z (= CKMT) Ausonius Paulino KM, Ausonius Paulino suo sal. pl. d. CT  
 a. 1 delata equidem Sch., delata quidem C, delate quidem KM, delate T 2 querimonia  
 mea CM, mea querimonia KT 5 scientissimi CKM, scientissimum T 6 in gari CM (Civ  
 ras.?), ignari KT 8 parcior. Cui vid. K, paciorem M, pertior T 9 apalaria CM, appalaria  
 K, appalaria T, applaria Scal. 10 quid ed. Par. 1511, quod codd. hospitale CKM, hospita-  
 bile T ut CK, om. MT

dulcior, o Gratiarum venustate festivior, o ab omnibus patrio strin-  
 gende complexu! sed hoc atque alia huiusmodi documenta liberalis  
 animi aliquis fortasse et aliquando, quamvis rarus; illud de epistu-  
 15 larum tuarum eruditione, de poematis iucunditate, de inventione et  
 concinnatione, iuro omnia nulli umquam imitabile futurum, etsi  
 fateatur imitandum. de quo opusculo, ut iubes, faciam: exquisitum  
 universa limabo et quamvis per te manus summa contigerit, caelum  
 superfluae expolitionis adhibebo, magis ut tibi paream quam ut  
 20 perfectis aliquid adiciam. interea tamen, ne sine corollario poetico  
 tabellarius tuus rediret, paucis iambicis praeludendum putavi, dum  
 illud quod a me heroico metro desideras incohat. isti tamen—ita te et  
 Hesperium salvos habeam, quod spatio lucubratiunculae unius effusi  
 (quamquam hoc ipsi de se probabunt)—tamen nihil diligentiae  
 25 ulterioris habuerunt. vale.

## b

Iambe, Parthis et Cydonum spiculis,  
 iambe, pinnis alitum velocior,  
 Padi ruentis impetu torrentior,  
 magna sonorae grandinis vi densior,  
 flammis corusci fulgoris vibrator,  
 iam nunc per auras Persei talaribus  
 petasoque ditis Arcados vectus vola.  
 si vera fama est Hippocrenes, quam pedis  
 pulsu citatam cornipes fudit fremens,  
 10 tu, fonte in ipso procreatus Pegasi,  
 primus novorum metra iunxisti pedum  
 sociisque Musis concinentibus novem  
 caedem in draconis concitasti Delium.  
 fer hanc salutem praepes et volucripes  
 Paulini ad usque moenia, Ebromagum loquor,  
 15 et protinus, iam si resumptis viribus  
 alacri reflecti corporis motu viget,

13 hoc KMT, hec C  
 14 aliquis . . . rarus *codd.*, aliqui . . . rarius *Lugd.*, alicui . . . rarius  
*Toll.* post fortasse imitabitur *add. Sch.*, asseret *Brakman*  
 17 exquisitum *T*, exquisitum *K*,  
 exquisitum *CM*  
 23 quod spatio *C*, quod spatium *KT*, quo spatio *M*  
 b. 1 Cidonum *Avanti.*, sinodum *codd.*  
 4 magna *C*, magnum *KMT*  
 fulminis *T*, fluminis *K*  
 7 vectus *CT*, vetus *M*, velotius *K*  
 8 Hippocrenes *Williams*,  
 Hippocrene *codd.*  
 12 sociisque *ego*, hicque *KT*, hic *M*, hic quod *C*, illicque *Scal.*, idemque  
*Bachrens*, iisque *Hartel*, sanctisque *Petip.*  
 15 Hebromagum *Scal.*, ebromanum *C*, hebroma-  
 gnum *KM* (ebro-*K*), hebromag<sup>m</sup> *T*

salvere iussum mox reposece mutuuum.  
 nihil moreris iamque dum loquor redi,  
 imitatus illum stirpis auctorem tuae,  
 triplici furentem qui Chimaeram incendio  
 supervolavit tutus igne proximo.  
 dic '(te) valere', dic, 'salvere te iubet  
 amicus et vicinus et fautor tuus,  
 honoris auctor, altor ingenii tui.'  
 dic et 'magister', dic 'parens', dic omnia  
 blanda atque sancta caritatis nomina,  
 'ave' que dicto, dic 'vale' et actutum redi.  
 quod si rogabit, quid super scriptis novis  
 30 maturus aevi nec rudis diiudicem,  
 nescire dices, sed paratum iam fore  
 heroicorum versuum plenum essedum.  
 cui subiugabo de molarum ambagibus,  
 qui machinali saxa volvunt pondere,  
 tripedes caballos terga ruptos verbere,  
 his ut vehantur tres sodales nuntii.  
 fors et rogabit, quos sodales dixeris  
 simul venire: dic 'trinodem dactylum  
 vidi paratum crucianti cantherio;  
 spondeus illi lentipes ibat comes,  
 40 paribus moratur qui locis cursum meum,  
 mihi que similis, semper adversus tamen,  
 nec par nec impar, qui trochæus dicitur.'  
 haec fare cursim nec moratus pervola,  
 aliquid reportans interim munusculi  
 de largitate musici promptarii.

## 20. Ausonius Paulino

## a

Multas et frequentes mihi gratiae tuae causas et occasio subinde nata  
 concinnat et naturae tuae facilitas benigna conciliat, Pauline fili. nam

22 tutus *ed. pr.*, totus *codd.*  
 23 te ante valere *add. Sch.*, multum ante iubet *Leo* valere *in*  
*celere mutato*  
 28 et actutum *codd.*, actutum et *L. Mueller*, actutum *Sch. dub.*

20 *Z* (= *CKMT*) Ausonius Paulino *M*, Ausonius Paulino sal. *K*, Ausonius Paulino  
 suo sal. pl. dic. *CT*  
 a. 2 concinnat et *Avanti.*, concinnate *CMT* (-ante *K*)

quia nihil poscente me abnuis, magis acuis procaciam quam retundis,  
 ut nunc quoque in causa Philonis procuratoris quondam mei experiere,  
 5 qui apud Ebromagum conditis mercibus quas per agros diversos  
 coemit, concesso ab hominibus tuis usus hospiti, immature peri-  
 clitatur expelli. quod nisi indulseris rogante me, ut et mora habitandi  
 ad commodum suum utatur et nauso aliave qua navi usque ad oppidum  
 praebita frugis aliquantum nostrae devehi possit, Lucaniacus ut inopia  
 10 liberetur mature, tota illa familia hominis litterati non ad Tullii  
 frumentariam sed ad Curculionem Plauti pertinebit. hoc quo facilius  
 impetrarem aut quo maiorem vereris molestiam si negares, concin-  
 natam iambis signatamque ad te epistulam misi, ne subornatum diceres  
 tabellarium si ad te sine signi fide veniret. signavi autem non, ut  
 15 Plautus ait, 'per ceram et lignum litterasque interpretes', sed per poeti-  
 cum characterem, ut magis notam inustam quam signum impressum  
 iudicares.

## b

Philon, meis qui vilicatus praediis,  
 ut ipse vult, ἐπίτροπος  
 (nam gloriosum Graeculus nomen putat  
 quod sermo fucat Dorius),  
 5 suis querellis assertit nostras preces,  
 quas ipse lentus prosequor.  
 videbis ipsum, qualis astet comminus,  
 imago fortunae suae,  
 canus comosus hispidus trux atribus,  
 10 Terentianus Phormio,  
 horrens capillis ut marinus asperis  
 echinus aut versus mei.  
 hic saepe falsus messibus vegrandibus,  
 nomen perosus vilici,  
 semente sera sive multum praecoqua,  
 15 et siderali inscitia

9 devehi CKM, advehi T 11 curculionem Vat. Lat. 3152, alii, culionem CKMT  
 12 vereris C, veris KT, verrens M 13 iambis C, iam bi KMT 15 lignum codd. (lig<sup>m</sup>  
 KT), linum Plauti codd. 16 characterem ut magis notam inustam quam Mommsen, chara-  
 cterem magis nota minus tamquam codd., characterem magis notam inustam quam Peip.  
 b. 2 ἐπίτροπος T, ἐπιτροπωση CKM 9 atribus Z, acribux Peip. 13-18, fortasse sic  
 transponenda: 13, 15, 18, 17, 14 15 praecoqua C, prequoqna KT, pre quoqua M

caelum lacesse sequae culpae subtrahens  
 reos peregit caelites.  
 non cultor instans, non arator gnaruris,  
 20 promusque quam condus magis,  
 terram infidelem nec feracem criminans  
 negotiari maluit;  
 mercatur (in) quoquo foro venalium,  
 mutatur ad Graecam fidem,  
 sapiensque supra Graeciae septem viros  
 25 octavus accessit σοφός.  
 et nunc paravit triticum casco sale  
 novusque pollet ἔμπερος.  
 adit inquilinos rura vicos oppida  
 soli et sali commercio;  
 30 acatis phaselis lintribus stlatis †trate†  
 Tarnim et Garunnam permeat  
 ac lucra damnis, damna mutans fraudibus  
 se ditat et me pauperat.  
 35 is nunc ad usque vectus Ebromagum tuam  
 sedem locavit mercibus,  
 ut inde nauso devehat (cibaria)  
 nostros in usus, ut refert.  
 hunc ergo paucis ne graveris hospitem  
 \* \* \* \* \*  
 40 adiutus ut mox navis auxilio tuae  
 ad usque portus oppidi  
 iam iam Perusina, iam Saguntina fame  
 Lucaniacum liberet.  
 hoc si impetratum munus abs te accepero,  
 45 prior colere quam Ceres;  
 Triptolemon olim, sive Epimeniden vocant

23 mercatur in quoquo foro venalium Vin., mercatur quo foro (ferro M) venalium CKM, merca-  
 turque foro venalium T, mercaturit quoquo foro venalium J. C. Scaliger, mercator quolibet foro  
 venalium Peip., mercator et quae sunt foro venalium Leo 24 mutator Toll., mutatur codd.,  
 mutatus Sch. 26 σοφός ego, sophos codd. 28 ἔμπερος ego, emporus codd.  
 31 rate codd., ratibus ego dub., scaphis anon. 32 garunnam CT, garunnam KM post 36  
 lac. Sch., post 36 et post 37 Scal. 37 cibaria add. Peip., -ur triticum Sch. dub., sive navi post nauso  
 Scal. 40 lac. T 41 adiutus codd., adactus Peip., adeductus Baehrens, adlatus Sch.  
 43 Perusina iam Baehrens, peresam iam CK, pares samiam M, peresianiam T, Perusina et Avant.  
 47 sive Epimenidem Schott, sive meden (medem T) quem codd.

aut viliconem Buzygen,  
tuo locabo postferendos numini:  
nam munus hoc fiet tuum.

50

## 21. Ad Paulinum

Quarta tibi haec notos detexit epistula questus,  
Pauline, et blando residem sermone lacesit;  
officium sed nulla pium mihi pagina reddit,  
fausta salutigeris ascribens orsa libellis.  
unde istam meruit non felix charta repulsam,  
spernit tam longo cessatio quam tua fastu?  
hostis ab hoste tamen per barbara verba salutem  
accipit et 'salve' mediis intervenit armis.  
respondent et saxa homini, et percussus ab antris  
sermo redit, redit et nemorum vocalis imago.  
litorum clamant scopuli, dant murmura rivi,  
Hyblaeis apibus saepes depasta susurrat.  
est et harundineis modulatio musica ripis  
cumque suis loquitur tremulum coma pinea ventis,  
incubuit foliis quotiens levis eurus acutis.  
nil mutum natura dedit. non aeris ales  
quadrupedesve silent, habet et sua sibila serpens  
et pecus aequoreum tenui vice vocis anhelat.  
Dindyma Gargarico respondent cantica luco;  
cymbala dant flictu sonitum, dant pulpita saltu  
icta pedum, tentis reboant cava tympana tergis;  
Isiacos agitant Mareotica sinistra tumultus;  
nec Dodonaei cessat tinnitus aeni,  
in numerum quotiens radiis ferientibus ictae  
respondent dociles moderato verbere pelves.

25

48 viliconem *ego*, Tullianum *codd.*, viliconum *Peip.* Buzygen *Avant.*, buzirem *T.*, buzizen *CM*, burirem *K*  
49 numini *Baehrens*, nomini *codd.*

21 *V/NPSA* Cum Pontius Paulinus iunior quartis iam litteris non respondisset, sic ad eum scriptum est *V*; incipit Ausoni ad Paulinum *N*. incipit alia eiusdem ad eundem *P*, incipiunt versus Ausoni ad Paulinum *SA* 4 ascribens *VP*, rescribens *S*, et scribens *NA* 6 cessatio quam tua *V/NPS*, tua quam cessatio *A* 9 homini et percussus *V/NP*, homini percussus *SA* 12 Hyblaeis apibus saepes depasta susurrat *VP*, somniferumque canit saepes depasta susurrum *NSA* 14 cumque suis loquitur tremulum coma *VP*, atque arguta suis loquitur coma *NSA* 16 post 19 *transp. ego* Dindyma Gargarico *VP*, Dindymaque ideo *NSA* (-quae *S*, ido *A*) 22 isiacos *VP*, isiacosque *NSA* (isac-*S*) 25 moderato *NPSA*, modulato *V*

tu velut Oebaliis habites taciturnus Amyclis  
aut tua Sigalion Aegyptius oscula signet,  
obnixum, Pauline, taces. agnosco pudorem,  
quod vitium fovet ipsa suum cessatio iugis.  
dumque pudet tacuisse diu, placet officiorum  
non servare vices, et amant longa otia culpam.  
quis prohibet 'salve' atque 'vale' brevitate parata  
scribere felicesque notas mandare libellis?  
non ego longinquos ut textat pagina versus  
postulo multiplicique oneret sermone tabellas.  
una fuit tantum, qua respondere Lacones,  
littera, et irato regi placuere negantes.  
est etenim comis brevitatis. sic fama renatum  
Pythagoram docuisse refert: cum multa loquaces  
ambiguus sererent verbis, contra omnia solum  
'est' respondebat vel 'non'. o certa loquendi  
regula! nam brevius nihil est et plenius istis,  
quae firmata probant aut infirmata relidunt.  
nemo silens placuit, multi brevitate loquendi.  
verum ego quo stulte dudum spatiosa locutus  
provehor? ut diversa sibi vicinaque culpa est!  
multa loquens et cuncta silens non ambo placemus;  
nec possum reticere, iugum quod libera numquam  
fert pietas nec amat blandis postponere verum.  
vertisti, Pauline, tuos, dulcissime, mores:  
Vasconei saltus et ninguida Pyrethaei  
hospitia et nostri facit hoc oblivio caeli.  
imprecor ex merito quid non tibi, Hiberia tellus?  
te populent Poeni, te perfidus Hannibal urat,  
te belli sedem repetat Sertorius exul.  
ergo meum patriaeque decus columenque senati  
Birbilis aut haerens scopulis Calagurris habebit  
aut quae detectis iuga per scruposa ruinis  
arida torrentem Sicorim despectat Ilerda?  
hic trabeam, Pauline, tuam Latiamque curulem  
constituisti patriosque istic sepelibus honores?

30

35

40

45

50

55

60

28 agnosco *V/PNS*, cognosco *A* 31 culpam *codd.*, culpa *Brandes* 33 felicesque *V/NP*, felicisque *SA* 35 oneret *codd.*, oneres *Scal.* 49 postponere *VP*, deponere *NA*, disponere *S<sup>pc</sup>*, quod ponere *S<sup>ac</sup>* 51 vasconei saltus *N*, vasconis hoc saltus *V/SA*, vascones hoc saltus *P* 53 ex *V/NPS*, et *A* 56 senati *NPA*, senatus *V/S*

quis tamen iste tibi tam longa silentia suasit?  
 impius ut nullos hic vocem vertat in usus;  
 gaudia non illum vegetent, non dulcia vatum  
 carmina, non blandae modulatio flexa querellae;  
 non fera, non illum pecudes, non mulceat ales,  
 non quae pastorum nemoralibus abdita lucis  
 solatur nostras echo resecuta loquellas;  
 tristis, egens, deserta colat tacitusque pererret  
 Alpini convexa iugi, ceu dicitur olim  
 mentis inops coetus hominum et vestigia vitans  
 avia perlustrasse vagus loca Bellerophonotes.  
 haec precor, hanc vocem, Boeotia numina, Musae,  
 accipite et Latiis vatem revocate Camenis.

22. *Ad Paulinum*

Proxima quae nostrae fuerat querimonia chartae  
 credideram quod te, Pauline, inflectere posset  
 eliceretque tuam blanda obiurgatio vocem.  
 sed tu, iuratis velut alta silentia sacris  
 devotus teneas, perstas in lege tacendi.  
 non licet? anne pudet, si quis tibi iure paterno  
 vivat amicus adhuc, maneatque obnoxius heres?  
 ignavos agitet talis timor; at tibi nullus  
 sit metus et morem missae acceptaeque salutis  
 audacter retine. vel si tibi proditor instat  
 aut quaesitoris gravior censura timetur,  
 occurre ingenio, quo saepe occulta teguntur.  
 Threicii quondam quam saeva licentia regis  
 fecerat elinguem, per licia texta querellas  
 edidit et tacitis mandavit crimina telis.  
 et pudibunda suos malo commisit amores

62 iste *V/NPA*, ista *S* 68 nostras echo (etho *P*) resecuta loquellas *VP*, nostras et ore secuta loquellas *S*, nostra setore secuta loquellas *A*, tacitas defixo in pectore curas *N* 69 colat *V/PSA*, colas *N* 70 alpini convexa iugi *NSA*, alpinis convexa (conn- *P*) iugis *VP* 73 numina *VN*, nomina *PSA*

22 *V/NPHSA* Item ad eundem Pontium Paulinum epistula subinde scripta *V*, item Ausonii ad Paulinum *N*, epistola decii magni Ausonii ad Paulinum *P*, epistola eiusdem metrica ad Paulinum Presbyterum nondum Episcopum *H*, incipiunt Ausonii ad Paulinum *SA* 3 tuam ... vocem *VPH*, tuas ... musas *NSA* 7 heres *V/NPH*, aeris *S*, eris *A* 8 at *N*, ac *VPHSA*

virgo nec erubuit tacituro conscia pomo.  
 depressis scrobibus vitium regale minister  
 credidit idque diu textit fidissima tellus;  
 inspirata dehinc vento cantavit harundo.  
 lacte incide notas: arescens charta tenebit  
 semper inaspicias, prodentur scripta favillis.  
 vel Lacedaemoniam scytalen imitare, libelli  
 segmina Pergamei tereti circumdata ligno  
 perpetuo inscribens versu, qui deinde solutus  
 non respondentem sparso dabit ordine formas  
 donec consimilis ligni replicetur in orbem.  
 innumeras possum celandi ostendere formas  
 et clandestinas veterum reserare loquellas,  
 si prodi, Pauline, times nostraeque vereris  
 crimen amicitiae. Tanaquil tua nesciat istud;  
 tu contemne alios nec dedignare parentem  
 affari verbis. ego sum tuus altor et ille  
 praeceptor primus, primus largitor honorum,  
 primus in Aonidum qui te collegia duxi.

23. *Ad Paulinum*

Discutimus, Pauline, iugum, quod certa fovebat  
 temperies, leve quod positu et tolerabile iunctis  
 tractabat paribus concordia mitis habenis,  
 quod per tam longam seriem redeuntibus annis  
 fabula non umquam, numquam querimonia movit,  
 discutimus, sed tu tantum reus; ast ego semper  
 contenta cervice feram. consorte laborum  
 destitutor, nec tam promptum gestata duobus  
 deficiente alio solum perferre iugalem;

17 tacituro *V/NH<sup>mc</sup>S*, tacitura *PH<sup>mc</sup>*, taciturno *A* 19 idque *V/NPH*, atque *SA*  
 21 incide *V/NHS*, incidens *P*, incido *A* 22 inaspicias *NSA*, inaspicuis *VPH* (-ausp- *PH*)  
 favillis *VPH*, favilli *N*, favillas *SA* 25 deinde solutus *VP*, deinde solutus *N*, dein solutus *H*,  
 dum resolutus *SA* 33 altor *V/SA*, auctor *NPH* 34 primus primus *NSA*, primus  
 veterum *V*, primus *P*, primusque tibi *H*

23 (*VPH*) *NSA* (*om.* 1-22 *N*) *lectiones codicum VPH quae ad Ep.* 24 *potius spectant unctis*  
 item Ausoni ad Paulinum *SA* 1 certa *SA*, (nota *VPH*) 2 positu *S*, possit  
*A*, positum *VPH* et *om.* *A* tolerabile *SA*, (venerabile *VPH*) iunctis *VP*, cunctis *H*, vinctis  
*SA* 4 redeuntibus *SA*, (volventibus *VPH*) 5 *aliter VPH* 6 *aliter VPH* (= 24. 19-  
 20) 8 tam *colla*, iam *Heins.* gestata *V*, gesta *PH*, testata *SA* 9 *aliter VPH* (= 24. 23)

non animus viresque labant, sed iniqua ferendo  
condicio est oneri, cum munus utrumque relicto  
ingruit acceduntque alienae pondera librae.  
sic pars aegra hominis trahit ad contagia sanum  
corpus et exigui quamvis discrimine membri  
tota per innumeros artus compago vacillat.  
obruar usque tamen, veteris ne desit amici  
me durante fides memorique ut fixa sub aevo  
restituant profugum solacia cassa sodalem.  
impie, Pirithoo disiungere Thesea posses  
Euryalumque suo socium secernere Niso;  
te suadente fugam Pylades liquisset Oresten  
nec custodisset Siculus vadimonia Damon.  
agnoscisne tuam, Ponti dulcissime, culpam?  
nam mihi certa fides nec commutabilis umquam  
Paulini illius veteris reverentia durat  
quaque meoque tuoque fuit concordia patri;  
si tendi facilis cuiquam fuit arcus Ulixi  
aut praeter dominum vibrabilis ornus Achilli,  
nos quoque tam longo mens altera foedere solvet.  
sed cur tam maesto sero tristia carmina versu  
et non in meliora animus se vota propinquat?  
sit procul iste metus: certa est fiducia nobis,  
si genitor natusque dei pia verba volentum  
accipiat, nostro reddi te posse precatu,  
ne sparsam raptamque domum lacerataque centum  
per dominos veteris Paulini regna fleamus  
teque vagum toto, quam longa Hispania, tractu  
immemorem veterum peregrinis fidere amicis.  
accurre, o nostrum decus, o mea maxima cura,  
votis ominibusque bonis precibusque vocatus;  
appropera, dum tu iuvenis, dum nostra senectus  
servat inexhaustum tibi gratificata vigorem.  
en erit ut nostras hic nuntius excitet aures?  
'ecce tuus Paulinus adest! iam ninguida linquit

11 cum munus A, communis S, cum pondus VPH 16-22 nihil tale VPH 19 posses  
Graec., possis SA 21 fugam *codd.*, fugax ego *dub.* 23-42 *om.* SA 23 agnoscisne  
VN, agnoscesne PH 27 Ulixi NPH, Ulixei V 29 mens altera N, Rhannusia VPH  
(-am P) 31 animus VN, animos PH 33 volentum VPH, voventum N 43-52 *om.*  
H 43 *aliter* VNP (= 24, 115) aures S, auras A

oppida Hiberorum, Tarbellica iam tenet arva;  
Ebromagi iam tecta subit, iam praedia fratris  
vicina ingreditur, iam labitur amne secundo,  
iamque in conspectu est, iam prora obvertitur amni  
ingressusque sui celebrata per ostia portus  
praevertit cunctos ut te amplectatur amicos,  
et sua praeteriens iam iam tua limina pulsat!  
credimus, an qui amant ipsi sibi somnia fingunt?

24. *Alia ad eundem*

Discutimus, Pauline, iugum, quod nota fovebat  
temperies, leve quod positu et venerabile iunctis  
tractabat paribus concordia mitis habenis,  
quod per tam longam seriem volventibus annis  
nulla querella loco pepulit, non ira nec error,  
nec quae compositis malesuada credula causis  
concinnat veri similes suspicio culpas;  
tam placidum, tam mite iugum, quod utrique parentes  
ad senium nostri traxere ab origine vitae  
impositumque piis heredibus usque manere  
optarunt dum longa dies dissolveret aeuum.  
et mansit, dum laeta fides nec cura laborat  
officii servare vices, sed sponite feruntur  
incustoditum sibi continuantia cursum.  
hoc tam mite iugum docili cervicē subirent  
Martis equi stabuloque feri Diomedis abacti  
et qui mutatis ignoti Solis habenis  
fulmineum Phaethonta Pado mersere iugales.  
discutitur, Pauline, tamen, nec culpa duorum  
ista, sed unius tantum tua; namque ego semper

50 *aliter* VNP (= 24, 122)

24 VPHN (*om.* 1-94 N) (SA) *lectiones codicum SA quae ad Ep. 23 potius spectant unciis inclusi*  
incipit alia ad eundem cum ille ad alia magis responderet neque se benturum polliceretur V, ad  
Paulinum Ausonius N, alia epistola eiusdem ad eundem P, alia epistola ad eundem Paulinum H  
1 nota VPH, (certa SA) 2 positu S, possit A, positum VPH et *om.* A venerabile VPH,  
(tolerabile SA) iunctis VP, cunctis H, vinctis SA 4 volventibus VPH, (redeuntibus SA)  
5 *aliter* SA 6-18 *nil tale* SA 6 nec quae H, nec quae V, neque P compositis PH,  
compositus V 7 similes *Heins.*, similis VPH 8 placidum *Acant.*, placitum VH, placite  
P utrique *Graec.*, uterque VPH 9 nostri VP, nostrum H 13 officii *codd.*, officii  
Sh. B. 17 ignoti PH, ignotis V 19-20 *aliter* SA (= 23, 6-7)

contenta cervice feram. consorte laborum  
 destituor, nec tam promptum gestata duobus  
 unum deficiente pari perferre sodalem;  
 non animus viresque labant, sed iniqua ferendo  
 condicio est oneri, cum munus utrumque relicto  
 ingruit acceduntque alienae pondera librae.  
 sic pars aegra hominis trahit ad contagia sanum  
 corpus et exigui quamvis discrimine membri  
 tota per innumeros artus compago vacillat.  
 quantum oblectamen populi, quae vota bonorum  
 sperato fraudata bono! gratantia cuncti  
 verba loquebantur, iam nomina nostra parabant  
 inserere antiquis aevi melioris amicis.  
 cedebat Pylades, Phrygii quoque gloria Nisi  
 iam minor et promissa obiens vadimonia Damon.  
 nos documenta magis felicia, qualia magnus  
 Scipio longaeuque dedit sapientia Laeli;  
 nos studiis animisque isdem miracula cunctis,  
 hoc maiora, pares fuimus quod dispare in aevo.  
 ocius illa iugi fatalis solvere lora  
 Pellaeum potuisse ducem reor, abdita operis  
 principiis et utroque caput celantia nodo.  
 grande aliquod verbum nimirum diximus, ut se  
 inferret nimiis vindex Rhamnusia votis:  
 Arsacidae ut quondam regis non laeta triumphis  
 grandia verba premens ultrix dea Medica belli  
 sistere Cecropidum in terris monumenta paranti  
 obstitit et Graio iam iam figenda tropaeo  
 ultro etiam victis Nemesi stetit Artica Persis.  
 quae tibi Romulidas proceres vexare libido est?  
 in Medos Arabasque proceres per nubila et atrum  
 perge chaos: Romana procul tibi nomina sunt.  
 illic quaere alios oppugnatura sodales,  
 livor ubi iste tuus ferrugineumque venenum  
 opportuna tuis inimicat pectora fucis;  
 Paulinum Ausoniumque, viros quos sacra Quirini

22 tam *cod.*, iam *Heins.* gestata *V*, gesta *PH*, testata *SA* 23 *aliter SA* (= 23, 9)  
 25 cum munus *A*, communis *S*, cum pondus *VPH* 30-114 *nihil tale SA* 39 maiora *PH*,  
 maiore *V* 43 diximus *Vind. 3261*, duximus *VPH* 46 dea medica *V*, demenitica *PH*  
 47 paranti *Vind. 3261*, parenti *VH*, parent *P* 49 *om. P*

purpura et auratus trabae velavit amictus,  
 non decet insidiis peregrinae cedere divae.  
 quid queror Eoi que insector crimina monstri?  
 occidui me ripa Tagi, me Punica laedit  
 Barcino, me bimaribus iuga ninguida Pyrenaei  
 \* \* \* \* \*  
 moenibus et patrio forsam quoque vestis et oris  
 \* \* \* \* \*  
 quemque suo longe dirimat provincia tractu  
 trans montes solemque alium, trans flumina et urbes  
 et quod terrarum caelique extenditur inter  
 Emeritensis Aenae lataeque fluentia Garunnae.  
 quod si intervalli spatium tolerabile limes  
 poneret exiguus (quamvis longa omnia credant  
 qui simul esse volunt), faceret tamen ipsa propinquos  
 cura locos, mediis iungens distantia verbis:  
 70 Santonus ut sibi Burdigalam, mox iungit Aginnum  
 illa sibi et populos Aquitanica rura colentes,  
 utque duplex Arelas Alpinae tecta Viennae  
 Narbonemque pari spatio sibi conserit et mox  
 quinquevicem socias tibi, Martie Narbo, Tolosam. 75  
 hoc mihi si spatium vicinis moenibus esset,  
 tunc ego te ut nostris aptum complecterer ulnis  
 afflaretque tuas aures nostrae aura loquellae.  
 nunc tibi trans Alpes et marmorëam Pyrenen  
 Caesarea est Augusta domus, Tyrrenica propter  
 Tarraco et ostrifero superaddita Barcino ponto:  
 me iuga Burdigalae, trino me flumina coetu  
 secernunt turbis popularibus otiaque inter  
 vitiferi exercent colles laetumque colonis  
 uber agri, tum prata virentia, tum nemus umbris  
 85 mobilibus celebrique frequens ecclesia vico,

61 Barcino *V*, Barcilo *PH* *lac. ante et post 62 Sch.* 63 quemque *VPH*, quaeque *Toll.*,  
 cumque *Heins.* suo longe *Toll.*, suae longo *VPH* 66 Emeritensis Aenae *Heins.*, emeriten-  
 sisanæ *V*, emeritensane *P*, emeritensane *H* garunne *PH* (-une *P*), tarunne *V* 70 cura  
*PH*, cara *V* locos *ed. Lugd. 1548*, locis *V*, locus *PH* 77 ut nostris aptum *PH*, ut nostris  
 actum *V*, ut nostris artum *Oudendorp*, nostris tamquam *ego dub.* 80 Caesarea est Augusta  
 domus *Peip.*, Caesareae Augustae domus *VPH*, Caesareae Augustae domus est *Vin.* 82 me  
 iuga *VPH*, teriuga *Vin.* Burdigalae *VH*, Burdigala *P* 83-4 *om. P* 86 celebrique *V*,  
 celerique *PH*

totque mea in Novaro sibi proxima praedia pago,  
 dispositis totum vicibus variata per annum,  
 egelidae ut tepeant hiemes rabidosque per aestus  
 aspirent tennes frigus subtile Aquilones.  
 te sine sed nullus grata vice provenit annus:  
 ver pluvium sine flore fugit, Canis aestifer ardet,  
 nulla autumnales variat Pomona saporos  
 effusaque hiemem contristat Aquarius unda.  
 agnoscisne tuam, Ponti dulcissime, culpam?  
 nam mihi certa fides nec commutabilis umquam  
 Paulini illius veteris reverentia durat  
 quaeque meoque tuoque fuit concordia patri;  
 si tendi facilis cuiquam fuit arcus Ulixi  
 aut praeter dominum vibrabilis ornus Achilli,  
 nos quoque tam longo Rhannusia foedere solvet.  
 sed cur tam maesto sero tristia carmina versu  
 et non in meliora animus se vota propinquat?  
 sit procul iste metus: certa est fiducia nobis,  
 si genitor natusque dei pia verba volentum  
 accipiat, nostro reddi te posse precatu,  
 ne sparsam raptamque domum lacerataque centum  
 per dominos veteris Paulini regna fleamus  
 teque vagum toto, quam longa Hispania, tractu  
 immemorem veterum peregrinis fidere amicis.  
 accurre, o nostrum decus, o mea maxima cura,  
 votis ominibusque bonis precibusque vocatus;  
 appropera, dum tu iuvenis, dum nostra senectus  
 servat inexhaustum tibi gratificata vigorem.  
 ecquando iste meas impellet nuntius aures?  
 ‘ecce tuus Paulinus adest! iam ninguida linquit  
 oppida Hiberorum, Tarbellica iam tenet arva;  
 Ebromagi iam tecta subit, iam praedia fratris  
 vicina ingreditur, iam labitur amne secundo,  
 iamque in conspectu est, iam prora obvertitur amni  
 ingressusque sui celebrata per ostia portus

88 dispositis *ed. Lugd. 1548*, dispositi *VPH* 80 egelidae *H*, agelidae *V*, et gelide *P*  
 95 agnoscisne *VN*, agnoscesne *PH* 99 Ulixi *NPH*, Ulixei *V* 101 Rhannusia *VPH*  
 (-am *P*), mens altera *N* 103 animus *VN*, animos *PH* 105 volentum *VPH*, voventum *N*  
 115-24 *om. H* 115 *aliter SA* (= 23-43) *ecquando Atant.*, et quando *VNP* *impellet VP*,  
*implevit N*, implebit *Brandes*

totum occursantis populi praevertitur agmen,  
 et sua praeteriens iam iam tua limina pulsat!  
 credimus, an qui amant ipsi sibi somnia fingunt?

122 *aliter SA* (= 23-50)